

Signum manibus Lamperti, & Uberti, seu Arnulfi, omnes lege viventes Romana testes.

Signum manibus Andree, & Petri testes.

Ego qui s. Teddevertus Notarius s. Palatii scriptor nius commutationis post tradita complet, & dedit.

11

MLXXVIII.

Epistola Gregorii VII. ad Episcopos Astensem, Aquensem, & Abbatem Fructuariensem, ut justam damnorum estimationem faciant in controversia inter Episcopum Taurinensem, & Abbatem s. Michaelis de Clusa. Dat. Romæ 8. Kal. Decemb. indict. secunda an. 1078.

Decretum Gregorii VII., quo declarat pacem factam esse inter Episcopum Taurinensem, & Abbatem Clusinum, jubetque illum juxta estimationem Astensis, & Aquensis Episcopi damnorum restitutionem facere oportere T. XX. Conc. Labbei ed. ult. lib. VI. Epist. VI. pag. 261.

12

MLXXVIII.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Notum tam presentibus, quam posteris fieri volumus causam Cuniberti Taurinensis Episcopi, & Abbatis s. Michaelis qualiter finiendam esse posuimus. Venientes enim ante nostram presentiam post plura annorum curricula, quibus conquesti sunt alter adversus alterum ea voluntate acquiescentes, & obediens nostro jussu pacem inter se nobis precipientibus fecerunt. Quibus ex auctoritate Apostolica interdiximus, ne alter alteri occasionem discordiæ ulterius præberet. Sed Episcopus Abbatem, & prædicto monasterio emendet, quæ ei abstulit, nisi quantum Abbas ei condonaverit, similiter & Abbas Episcopo faciat. Et hoc in estimatione Astensis Episcopi, & Episcopi Aquensis nec non & Abbatis Fructuariensis. Si autem Episcopus voluerit &c. Data Romæ octavo Kalend. decembr. Indict. secunda.

Donatio Adelaidis Comitissæ monasterio ss. Solutoris &c. coram Alberto Episcopo Aq. & Vvidone M. de Sezadio exscripta ex Autographo a T. Meiranefio Sambuci Præposito.

13

MLXXIX.

Die jovis quarto mensis julii monasterio ss. Solutoris, Adventoris, & Octavii constructo foris, & prope civitatem Taurini non multum longe a porta, quæ dicitur Seusina in Camera, quæ est juxta capellam domini Abbatis ipsius monasterii, presentia (1) dominæ Agnetis Comitissæ filiæ quondam Vvillielmi Comitum, & relictæ quondam Petri Marchionis, & domni Ingonis s. Astensis Ecclesiæ Episcopi, & domni Alberti s. Aquensis Ecclesiæ itemque Episcopi, seu domni Vvidonis Marchionis, qui dicitur de Seriago, sive

Erenzonis (2) judicis, & Brunonis de Morocio, atque Henrici de Barono, atque Anfaldi de Perlingaria (3) necnon Danielis, & Othonis per Croculos (4) domni Oberti Abbatis suprascripti monasterii, quam sua tenebat manu domna Adalgida (5) Comitissa filia quondam b. m. Magnifredi Marchionis, & relictæ q. Odonis, itemque Marchionis dedit investituram supradicto monasterio ss. Solutoris, Adventoris, & Octavii in manu præfati domni Oberti reverendis. Abbatis nominative pro medietate de corte una, quæ vocatur Calpix cum ipsius Comitissæ omnibus rebus, & pertinentiis ad ipsam medietatem de prædicta corte pertinentibus simili (6). Unde reliqua medietas de prædicta corte jam dicto monasterio pertinere videtur proprietario jure, & de quantum sibi pertinebat de medietate de corte alia, quæ dicitur Covaccia cum medietate de communibus rebus, & pertinentiis ad ipsam medietatem pertinentibus, unde quondam Adalricus suprascrip. s. Ecclesiæ Asten. Episcopus patruus ipsius dominæ Adalgidæ (7) Comitissæ, & quondam domina (8) Berta Comitissa genitrix sua fecerunt cartam offertionis prænominate monasterio eo tenore, ut faciant monachi, qui nunc in ipso monasterio ordinati videntur, & illi, qui de hic in antea fuerint ordinati tam de prædicta medietate de præfata corte, quæ dicitur Calpix cum medietate de omnibus rebus, & pertinentiis ad ipsam pertinentibus, quam de hoc, quod sibi aliquo modo pertinebat de supradicta medietate de præfata corte, quæ dicitur & de medietate de omnibus rebus, & pertinentiis ad ipsam pertinentibus hinc ad utilitatem ipsius monasterii a præfati die proprietario nomine, quod voluerint, & ideo ut omnipotens, ac misericordissimus Deus animabus suprascriptorum quondam Magnifredi Marchionis genitoris sui, & quondam domini Adalrici Astensis Antistitis patruus sui, ac quondam bonem. Bertæ Comitissæ genitricis suæ, atque quondam (9) Petri Marchionis filii sui in æterna requie misereri dignetur, & sibi in hac mortalitatis vitam omnium suorum delictorum indulgentiam, & in perpetuæ stabilitatis futura sanctissimæ suæ contemplationis cum sanctorum ceteribus largiatur clementiam. Factum est hoc anno ab Incarnat. Domini nostri Jesu Christi MLXXIX. suprascripto die jovis Indict. II. feliciter. Amen.

† Signum manu suprascriptæ domnæ Adalgidæ Comitissæ, quæ hoc suprascriptæ suæ investituræ breve fieri rogavit, ut supra.

Ego Aldeprandus, qui Bello sum vocatus, Notarius s. palatii interfui, & hujus investituræ breve scripsi.

Ediderat Muratorius Antiq. Med. Ævi Tom. I. pag. 325. prout eam acceperat ab excellentiss. C. Caissotti; quia tamen inter ejus exemplar, & istud, quod clar. Meiranefius harum rerum peritissimus ex autographo descripserat aliquas variantes reperi, has fideliter pro more hic adponam.

(1) Domna. Vox domna nulli feminæ attributum novi exceptis Abbatissis, sicuti domnus solis Abbatibus, & Episcopis dabatur; & sane hic autographum habebat domna cum linea desuper transversa ad in-